

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
R H A C H I T I D E  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI DOMINI  
PRAESIDIS, ET DIRECTORIS  
SPECTABILIS DOMINI DECANI  
CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM  
DOCTORIS MEDICINAE GRADU  
RITE OBTINENDO  
IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIEN TIARUM  
UNIVERSITATE HUNGARICA  
CONSCRIPSIT  
JOANNES NEP. PEER  
HUNGARUS  
MAGNO - KAROLINO SZATHMARIENSIS.

Theses adnexae publice defendantur in Palatio Uni-  
versitatis majori die Novembris 1833.

---

PESTHINI,  
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

**ILLUSTRISSIMO DOMINO**

**COMITI**

**GEORGIO KÁROLYI**

**DE NAGY KÁROLY**

**ARCIMUM ET DOMINIORUM**

**KÁROLY, ERDŐD, BÉLTEK, ECSED, FÜZÉR,  
RADVÁNY, CSONGRÁD, MEGYER, ET SURÁNY**

**HAEREDITARIO,**

**PLURIUM INCLYTORUM COMITATUUM  
TABULAE JUDICIARIAE E PRIMARIIS.  
ASSESSORI.**

**VIRO**  
**ERUDITIONE, HUMANITATE, BENEVOLENTIA**  
**AC PROBITATE INSIGNI**  
**LITERARUM SUMMO CULTORI, ET PROMOTORI**  
**MAECENATI GRATIOSISSIMO**

**BENIGNISSIMO**

**PRIMOS HOS STUDII ACADEMICI FRUCTUS**  
**VELUT PERPETUUM GRATITUDINIS**

**AC PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS**

**PIGNUS**


**OFFERT**

**Gratissimus Auctor.**


# Illustrissime Domine Comes!

 **V**erbis significare haud valeo summum illud solatium, quo perfundor, dum obtenta a Te Illustrissime Domine Comes gratiosa, ac benigna facultate exiguae has laborum meorum pagellas Illustrissimo Tuo Nomine exornare possum.

Igitur quid ardenter exoptasset animus? Quidve mecum gratius, dulcius, ac amoenius contingere potuisset? quam quod haec prima mea in Arte Medica conamina Nomini Tuo Illustrissimo insignire mihi permissum sit. Per singularem Tuam Clementiam, qua indulsi ut



opusculum hocce meum Nomi<sup>n</sup>i Tuo Il-  
lustrissimo sacrum esse possit demonstra-  
sti Te verum, ac indefessum Literarum,  
ac Literatorum esse Fautorem, ac Promo-  
torem, qualem et Te revera esse quivis  
Patriae nostrae Eruditorum testatur. Ne-  
mo est qui insignem Tuam modestiam,  
humanitatem, animique magnitudinem  
Tibi innatam, atque beneficiorum Tuo-  
rum numerum sive verbis, sive calamo  
adumbrare posset. Nolo laudibus Tuis  
immorari, Virtutesque Tuas, ac benefi-  
cia Tua innumera enumerare, cum Tua  
id yetet modestia.



Nihil aliud mihi restat Illustrissime  
Domine Comes! quam ut Tibi pro am-  
plissimo Favore, ac Clementia, qua ad-  
misisti, ut tenues has pagellas Nomi-  
ni Tuo Illustrissimo dedicare possim, im-  
mortales retribuam grates, optemque ut  
per longam annorum seriem vive sanus,  
ac prosper, ut Protectione Tua benefica  
Scientiae, et artes in Patria nostra ma-  
gnum capere possint incrementum.

Suscipe igitur quaeso Illustrissime  
Domine Comes aequo animo tenues hosce  
meos labores, ac benigno respice vultu



tamquam summae venerationis, ac gratitudinis monumentum; sique oro velis  
et in posterum favore, magnanimitate,  
et Tua benevolentia prosequi, et fovere

Tuum

Devinctissimum Clientem

Joannem Nep. Peer.

## Nomenclatura Morbi.

Rhachitis dicitur etiam Morbus Anglicus, cum morbus per Medicos prima vice in Anglia fuerit exacte observatus, ac descriptus, novit quidem morbum jam Hippocrates, ac Galenus, in operibus tamen illorum non invenitur plena morbi delineatio, primus fuit Medicus Anglus Glissonius, qui versus medium saeculum decimum septimum morbum accurate descriptis, post illum in variis Provinciis Europae a multis Medicis morbus hicce observatus et descriptus est. — Hungar. Angol nyavalya. Germ. Die englische Krankheit, die doppelsten Glieder. Engl. the Rickets. Gall. la Charfre.

## Definitio.


Est autem Rhachitis illa Cachexia peculiaris, seu ille morbus reproductionis, qui evolvitur aetate tenera sub periodo dentitionis primae a mense septimo post nativitatem usque annum secundum, tertiumque; manifestat se per debilitatem, flacciditatem organorum plurimorum vitae organicae dicatorum, manifestat se pallore cutis, debilitate musculorum, turbata functione organorum digestionis, ac Chylificationis, emollitione ossium singulari, unde forma ipsa ossium vario modo diffinis redditur, imprimis deformitates hae observantur in Spina dorsi, quae Rhachis dicitur,

ideo morbus appellatus est Rhachitis, quia tamen juxta Nosologos recentiores adfixum itis ideam inflammationis excitat, ideo alii Auctores praetendunt morbum rectius appellari Rhacheam, Cel. Schvediauer nuncupat morbum Osteomalaciam, retinetur tamen denominatio Rhachitidis, cum illa jam sit usu recepta.

## Divisio.

Relate ad aetatem hominis Rhachitis est duplex: alia Infantum, alia Adulorum.


### Rhachitis Infantum.

  
 Constituit frequenter morbum protopathicum idiosyncratum specificum ab omni alio morbo longe distinctum, Cel. Portal, et Hufeland dicunt Rhachitidem nil esse aliud, quam morbum scrophulosum in ossa conversum; licet hi duo morbi multa communia habeant, ast observatione constat naturam horum morborum esse distinctam, nam inveniuntur saepe aegri in gradu eminenti morbo scrophuloso esse affecti, quin Rhachitis adsit, et contra multi sunt Rhachitici, quin morbo scrophuloso divergentur.

In Rhachitide infantum duo Stadia distinguenda sunt utpote: Stadium prodromorum vocatur Rhachitis latens, vel Diathesis rhachitica; et aliud Stadium morbi perfecte evoluti, appellatur Rhachitis perfecte evoluta.

Stadium primum manifestat se singularibus Symptomatibus nempe: cutis pallore ac flacciditate, primis septimanis, aut primis mensibus post partum in-

fantes colorem eleganter rubicundum habebant, dein pallidi evadunt cum pallore hoc adest tumor öedematosus in facie, imo et in reliqua cuti, frequentius tamen cutis flaccida in rugas collabitur, ita ut faciem senilem referat, musculi sunt aequae flaccidi, molles, laxi, ideo infantes, qui prius jam forte ambulabant, saltem corpus movebant, nunc motum omnem activum nversantur, sedent, aut jacent; caput quod et infantes tenerrimi dum sani sunt erigunt, non valent elevare, est quidem caput Rhachiticorum in genere proportionate majus, quia ossificatio lentius procedit, fontanellae diutius remanent, ideo per musculos debiles Caput sustentari, moveri non potest. —



Praeterea turbatae sunt functiones organorum Digestionis, ac Chylificationis, multi infantes Rhachitici appetitum Cibi magnum habent, voraces sunt, appetunt præprimis lac, ac Cibos farinaceos; sed post cibos ingestos observatur inflatum abdomen, quod et secus tumidum, durumque est, ex cibis ingestis evolvitur gas, quod extendit ventriculum ac intestina, saepe habent ructus acidos, vomitum, diarrhoeam, saepius est alvus obstipa, Urina raro clara limpida, fere semper turbida, frequenter a copiosis particulis salinis admixtis albida, quasi lactea, haec omnia Symptomata tempore dentitionis augentur, dentitio quoque tarde, ac difficulter procedit, saepe adest febris, adsunt torments, frequenter convulsiones, dentes sub morbo ulterius evoluto citio corrumpuntur, flavescent, nigrescunt cariosi evadunt, excidunt, et sic comparet Stadium secundum.

In Stadio secundo seu Stadio Rhachitidis perfecte evolutae ossa imprimis cylindrica extremitatum jam tantum inferiorum, jam et superiorum fiunt molliora,

in extremitalibus suis praeprimis versus carpum, et versus tarsum intumescent ita, ut articuli apparent esse duplicitati, ideo a Germanis morbus appellatur (doppelte Glieder) propter mollietatem majorem ossium, propter flacciditatem, et debilitatem musculorum incrementem pedibus insistere, ambulare, etiamsi prius jam neverunt, non valent infantes; caput etiam minus sustentare valent, partim propter ea, quod ossa dilatata illud majus reddatur, partim quod musculi Spinae dorsi debiliores evadant; Organa digestionis, et chylificationis semper etiam in exercendis suis functionibus imperfectiora redundunt, hepar volumine incrementum ita, ut tactu etiam in regione hypochondriaca dextra, ac epigastrica tumor distingui possit, ob volumen hepatis auctum: ob abdomen totum tumidum respiratio evadit difficilior, laborantque Rhachitici disponea, respiratione brevi, anhelosa, imprimis dum motum corporis celeriorem suscipiunt, dum loca altiora scandere tentant; respiratio quidem haec impedita inducitur etiam a statu morboso ossium cavum pectoris constituentium in morbo nempe rhachitico evoluto praeterquam quod ossa extremitatum morbose emollita, ac in articulis morbose tumida sint, etiam columna vertebralis eminenti in gradu morbose afficitur, vertebrae ipsae fiunt molliores, cartillagines intermediae, ac ligamenta quibus vertebrae in situ suo normali retinentur, mollietatem, flexibilitatem, ac laxitatem morbosam habent, ideo spina dorsi in rhachiticis semper a situ normali deflectit, difformitates illius producuntur variae, frequentissime spina dorsi incurvatur postrorsum versus, ita ut in dorso gibbum efformet, dicitur gibbositas, Cyphosis, aut vero curvatura est opposita, nempe prominet spina dorsi convexe in cavum pectoris, aut cavum abdominis, ita ut in dorso

foveam efformet, dicitur Lordosis, vel vero incurvatur spina dorsi lateraliter, et quidem ita ut figuram literae S referat, dicitur Scoliosis; deformitates hae non tantum ad columnam vertebralem sunt limitatae, sed et reliqua ossa cum vertebris connexa e situ suo normali perturbantur, morbose emolliuntur, et formam adipiscuntur abnormem, sic os sterni saepe prominet acuminatur instar Carinae Navigis, vel instar pectoris avium, aut vero profundius retrahitur in cavum pectoris ita ut in anteriore parte pectoris fovea enascatur, costae saepe in una parte pectoris prominent, magis in altera retrahuntur, vel vero convexitate sua normali imminuta magis complanata sunt, ita et ossa pelvis jam ex una parte magis elevata, ex alia depressa, saepe morbose incurvata, ac tumida sunt, atque sic per hasce ossium difformitates functiones organorum cavo pectoris inclusorum pulmonum praeprimis, viscerum abdominalium, atque pelvoes, vario modo perturbantur. Saepe infantes Rhachitici laborant Blennorrhoeis chronicis, impetiginibus, sudore suffunduntur copioso viscido odoris acidi, frequenter intumescunt glandulae subcutaneae sebaceae, e quibus sub pressione prodit sebum induratum tenue, formam vermiculi referens, dicuntur Comedones. — Facultates intellectuales rhachiticorum cito evolvuntur, et quidem in gradu eminentiori, ita ut in corpore Rhachitico saepe excellens ingenium lateat, rariores sunt casus ubi ob ossa cranii, et columnae vertebralis monstrose tumida, ac difformia evolutio Encephali, et medullae spinalis debita impeditur, et hac ratione rhachiticus corpore debilis, etiam mentem debilem habet, hinc fatuitas, ac hebetudo mentis symptoma Rhachitidis constituit.

## Rhachitis Adulorum.

Haec objectum Dissertationis meae non constituit quidem, commemoranda tamen est, cum emolitio morbosa ossium et in Adultis saepe compareat, ast probe notandum Rhachitidem Adulorum rarissime esse extensam per ossa universa sicut id saepe observatur in Rhachitide infantum, in Adultis frequentissime restrictus est morbus ad aliqua ossa quae morbosam emollitionem adquirunt, ita ut etiam forma illorum abnormis reddatur; talis Rhachitis Adulorum semper est symptomatica, produciturque per aliū morbum, saepe per scrophulas, aetate quidem tenera evolutas, sed et in aetatem juvenilem excurrentes, quae tunc frequenter ossium statum morbosum Rhachiticum inducent, saepe emolitio morbosa ossium in adultis inducit per Scorbutum, aut per Syphilidem, vel per Arthritidem, producitur saepe per variolas, per morbillos utpote morbos exanthematicos, per infarctus abdominales, per Castrationem, Onaniam; per has causas in organismum agentes omnino produci Rhachitidem observationibus innumeris demonstravit Cel. Portal in suo Opere classico de Rhachitide, unde et septem species Rhachitidis statuebat. —

## Exitus Rhachitidis Infantum.

Rhachitis infantum est morbus longae durationis, ac incertae, multi labuntur saepe anni, donec morbus evolvitur, et etiam evolutus per plures annos manere solet, adminus remanent vestigia morbi non-

nunquam per totam vitam. In casibus pluribus ubi morbus majorem gradum non attigit, penes congruam tractationem contingit felix exitus in sanitatem, qui exitus in sanitatem frequenter jam secundo aut tertio aetatis infantilis anno evenire potest, aut nonnunquam Rhachitis licet semper in mitiori et minori gradu perdurare potest usque ingruentem pubertatem, ubi opatus exitus in sanitatem penes congruum regimen diaeteticum evenire solet; vel vero exitus salutaris exspectari potest tunc, dum in cute exanthemata, uti scabies, herpes, comparere solent, quae crisim Rhachitidis constituunt. Frequentius transit Rhachitis in morbos alios, et quidem remanere solent variae abnormitates, et curvatura in ossibus, possunt quidem Rhachitici propter abnormalitates et curvaturas ossibus inductas longo satis tempore vivere, immo senes evadere, ast curvatura hae ossium praedisponunt Rhachiticos ad alios morbos, utpote ad dispnoeam, tussim, Asthma, ad Hydropeum pectoris, Phtisim pulmonalem, Hydrocephalum, Hydrorachiam; curvatura, et abnormalites ossium pelvis causant graviditatem molestam, Abortum, Partum difficilem. — Aut vero ossa Rhachiticorum adeo degenerant, ut in ipsa substantia ossis exulceratio, caries evolvatur, vocaturque Spina ventosa Paedarthrocace. Dum degeneratio haec cassiosa incipit et ultiro procedit, et partes molles vicinae inflammantur, exulcerantur, praeprimis degeneratio haec ossium observatur dum Rhachitis conjuncta est cum scrophulis. — Rhachitide ita semper magis procedente, sub incremento pallore, flacciditate evoluntur symptomata febris, et quidem Hecticae, comparent saepe symptomata morborum supra adductorum uti Phtisis pulmonalis, Hydrothoracis, Hydrocephali, et s. p. atque aeger inter symptomata febris nervoso — putridae extinguitur.

## Sectio Cadaverum.

Cadavera Individuorum Rhachiticorum manent longo adhuc tempore post mortem calida, sub sectione Anatomico - Pathologica musculi conspiciuntur flaccidi, ac pallidi, glandulae lymphaticae sunt tumidae, durae, materia caseosa repletae, in casibus plurimis totum Systema Lymphaticum est in statu morbo praecipue glandulae meseraicae; reliqua organa glandulosa uti Hepar, Lien, et pancreas sunt mole aucta, ac indurata; tubus intestinalis saepe muco, ac vermibus repletus; cystis fellea continet bilem fluidam, aquosam, Pulmones exhibit plura tubercula, reperiuntur saepe cum Pleura concreti, cerebrum communiter invenitur molle, praeterea in cavis omnibus corporis copiosum serum extravasatum se visni offert. Ossa denique adeo emollita sunt, ut ad instar Cartilaginum ope cultri scindi possint.

## Aetiologya.

In Rhachitide cohaesio ossium est minor, quam solet esse in statu normali, causa cohaesionis hujus imminutae sita est in eo: quod pars glutinosa ossium sit abundantior, pars vero terrestris Phosphas Calcis in minori adsit quantitate, quod vero Phosphas Calcis in minori adsit quantitate causa hujus sita est in eo, quod depositio Calcis phosphoricae ad ossa sit impedita, aut vero quod celeritate nimia per vasa absorbentia ex ossibus ad Urinam feratur, unde saepe in Urina Rhachiticorum Phosphas Calcis majori in quantitate reperitur. Auctores non pauci causam Rhachitidis statuunt superabundantiam acidi Phosphorici unde dicunt Calcem a copioso acido Phosphorico in

ossibus praesente solvi, sique emollitionem peculiarem ossium produci. — Alii dicunt Calcem in minori adesse quantitate aut defici substantiam osseam. Alii denique dicunt proportionem turbatam acidi Phosphorici, et Calcis in ossibus non esse causam immediatam Rhachitidis, sed esse nonnisi effectum turbatae nutritionis ossium, et morbosae eorumdem reproductionis, unde plurimi recentiores Auctores dicunt Rhachitidem esse nil aliud quam morbosam nutritionem, et reproductionem systematis ossei. Plures adhuc sunt Auctorum nonnullorum circa Rhachitidis causam opiniones, et Theoriae, quae tamen magis Hypotheticae esse videntur. —

Quod momenta praedisponentia concernit: requiritur ad Rachitidem generandam dispositio, quae frequentissime est congenita; observationes plures exactae docuerunt, quod Parentes Rhachitici dispositionem ad Rachitidem propagent, generentque infantes rhachiticos, dispositio in Rachitidem propagatur in proles etiam a Parentibus debilibus, senibus, enervatis, aut qui morbis variis imprimis Syphilide, Scrophulis, Arthritide multum divexabantur, praeterea dispositio evolvitur in Rachitidem etiam in utero Matris praeprimis si causae debilitantes aer peculiariter corruptus, animi moeror diuturnus, egestas in Matrem egerunt. Post nativitatem dispositio producitur, praesens exaltatur, et morbi evolutio provocatur per causas tales nocentes, quae evolutionem debitam organismi teneri impediunt, ejusmodi causae sunt: Aer corruptus, humidus, alimenta quantitate, et qualitate peccantia, Iac Matris aut nutricis malum, cibi duri, pinguis, mundities debita neglecta, motus corporis necessarius intermissus, dispositione semel praesente provocatur morbus per alios morbos, per Febrim,

profluvia, per Exanthemata acuta, uti per variolas, morbillos, scarlatinam. — Excitatur denique morbus in Regionibus paludosis, humidis, depressis Mari vicinis, uti in Anglia, et Hollandia ubi etiam Rhachitis endemice grassatur ob Atmosphaeram humidam, frigidam, nebulis copiosis obsessam. — Quoad sexum faemineus pree virili majorem videtur habere dispositionem ob fabricam nempe corporis subtiliorem. —

## Prognosis.

Rhachitis in gradu minori penes congruum vitae Regimen sanatur frequenter per solam vim naturae medicatricem, dummodo infans potentiis nocentibus evolutioni ulteriori morbi faventibus subtrahatur; ast ubi dispositio eminenti in gradu congenita adest, ubi influxus causarum nocentium continuat, ibi Rhachitis per autocratiam naturae nunquam sanatur, debilitas organorum digestionis ac Chylificationis, et motus semper magis increscit, atque evolvuntur morbi organici varii, in ossibus Caries, in visceribus in specie in Pulmonibus, in intestinis ulcera, secretio contingit seri morbosa, sicque aegri tabe consummuntur, et frequenter ex Phtisi pulmonali obeunt, ideo Rhachitis a nonnullis Auctoribus appellatur Tabes pectorea, aut vero producitur Phtisis intestinalis, Hydrocephalus, Hydrothorax, ubi morbus ad tantum gradum degenerationis evectus est, ibi omnia conamina artis eluduntur. Saepe dum dentes infantum nigri, et cariosi evadunt atque excidunt, pro signo minus faustae Prognoseos loquuntur, item si in Cavis corporis collectio morbosa seri copiosi locum habeat, si Rhachitis post nativitatem mox evolvatur, si facies quae prius oedematose tumuit, celeriter collabatur,

et rugosa evadat, si infantes pedes suos directe extendere nequeant, si denique continuo nitantur corpus in situ horizontali servare. — Fausta Prognosis statui potest dum dentes sani permanent, dum spina dorsi morbose non est affecta, dum infantes manu attacti nulla dant signa doloris, item si pedes directe extendere valeant. — Postquam Rhachitis in sanitatem transiisset, in casibus multis remanent ossium difformitates variae ipsa ossa cranii formam saepe mutant, ita frequenter frons integer, aut vero media ejus pars multum prominent, aut cranium quadratum quasi redditur, ita difformia manent ossa extremitatum superiorum et inferiorum, saepe monstrose brevia tumida, saepe monstrose longa, incurvata, frequentissime vero ossa trunci, spina dorsi, costae, claviculae, sternum, ac ossa pelvoes difformia redduntur, incurvantur, atque intumescunt. —

### Therapia.


In Rhachitide curanda attentio ante omnia dirigi debet in causas cunctas organismum tenerum debilitare valentes, quae amoveri debent, infanti tenero debet procurari alimentum organismo ejus maxime congruum, in illo casu ubi mater sana est, lac illius cibus maxime proficuus erit, ast si mater ipsa Rhachitica, vel Scrophulosa fuerit, aut vero debilis, in hocco casu Nutrix sana seligi debet, cuius lac semper praeferri debet lacti animalis alicujus; ubi jam infans adultior ablactatus est, tunc exhibeantur illi cibi blande nutrientes, minime in aciditatem proni, cibi vegetabilis in genere non conveniunt, nec pingues, nec duri; optime convenit juscum bonum carneum cum pane bis cocto forma pultis tenuioris, hic cibus infantibus rhachiticis est maxime utilis, exhibeturque

ter per diem, ubi dein aetate increscente post annum primum alimenta majori quantitate exhibere necessarium est, tunc exhibentur infantibus rhachiticis carnes tenerae et coctae, et assatae, pro potu praeter aquam bonam et cerevisia ubi bona paratur infantibus talibus utiliter exhibetur, et quidem dosi parva, in defectu cerevisiae bonae vinum bonum aqua dilutum; praeter alimenta, ac potulenta attentio dirigenda est in aërem atmosphaericum in quo infans versatur, aër iste quantum fieri potest debet esse siccus, et purus, e loco humido transportetur infans ad siccum, quantumque fieri potest, versetur imprimis in aëre libero; e cubili removeantur omnes causae aërem corrumpere valentes, mundities observetur summa in cuti, ip vestimentis, quotidie abluatur infans aqua tepida, frequenter etiam balneetur; praeter haec motus corporis necessarius est ad musculos corroborandos, et quidem non sufficit portatio in brachio, quae non raro apud infantes Rhachiticos curvaturam spinae dorsi producit, sed praestat imponere infantes teneros in currum parvum, atque sic illos movere in libero aëre, ubi id fieri non potest, sub tecto; dum jam ambulare sciunt infantes, motum illi suscipiant, et quidem iterum quantum fieri potest in aëre puro, sicco, ac libero. — Somnus infantibus rhachiticis non debet concedi protractus, jaceantque in lecto duiore, ut corporis deformatio evitetur. —

Regimen diaeteticum solum ad morbum sufferendum raro sufficit, ideo in plurimis casibus ad Rhachitidem sanandam requiruntur pharmaca, et quidem frequenter in rhachiticis infantibus adsunt symptoma saburrae in ventriculo, vel in intestinis haerentis, quae partim generatur, quod infantes tales voraces multa ingerant, partim ob debilitatem organo-

rum digestionis, ac ehylicationis, ideo statim ad exordium curae exhibentur Emetica, vel purgantia, scopo emetico exhibetur Tartarus Emeticus, aut Diarrhoea praesente Ipecacuanha, scopo vero purgante exhibetur Rheum, vel Radix Jalappae, usus remediorum evacuantium diu: continuari non debet, neque saepius repeti, quia sic evolutioni morbi potius favent; eva-  
 cuatione saburrae facta adhibentur remedia roborantia amara, uti: Extractum Cardui benedicti, Centaurii mi-  
 noris, trifolii fibrini in infuso leniter aromatico: flo-  
 rum Chamomillae, vel Tiliae, Melissae, aut Men-  
 thae crispa, exhibetur Radix Calami Aromatici, Rad.  
 Caryophyllatae, Rad. Enulae quarum virtus multis  
 Observationibus comprobata est. Exhibetur porro Ra-  
 dix Gentianae rubrae, Herba absinthii, Ras. Ligni  
 Quassiae, Cort. Aurantiorum, Rad. Columbo, atque  
 Cortex Chiae. Inter remedia roborantia ab Auctori-  
 bus pluribus ut specificum remedium commendatur Ra-  
 dix Rubiae Tinctoriae, licet ab hoc remedio ossa  
 animalis cui exhibitum fuit, aliquo tempore tingan-  
 tur colore rubro, tamen pro specifico remedio haberi  
 non potest, exhibetur igitur Rad. Rubiae tinctoriae  
 qua blande roborans in pulvere a scrupulo semis usque  
 drachmam semis bis, terve per diem, vel forma De-  
 cocti, ita ut Recipientur Rad. Rubiae Tinctoriae drach-  
 ma due — Unc. semis, et coquuntur. c. s. qu. aquae fon-  
 tis per medium horam, Colatura Unciarum sex detur,  
 atque summatur exinde omni bihorio uno, aut duobus  
 Cochlearibus cibariis. — Ita et Radix Rumicis, s. La-  
 pathi aquatichi, utpote Remedium in Anglia contra Rha-  
 chitidem usitatum nullam specificam virtutem possi-  
 det, adhibetur Radicis recentis succus expressus ad  
 Unciam semis usque Unciam unam, qui succus cum  
 juscule carneo exhibetur; aut vero Radicis siccatae  
 Uncia una coquitur cum 16 uncisi aquae, ad rema-

nentiam dimidii, et Decoctum spatio unius diei consumendum adhibetur. Remedium omnium efficacissimum contra Rhachitidem uti observationes plurimae probant est Ferrum, et quidem adhibetur Limatura ferri non rubiginosa, Aethiops martialis, vel praeparata alia ut Flores Salis Ammoniaci Martiales, Carbonas ferri, et Sulfas ferri artefactus; Limatura ferri aromate quodam grato juneta praescribitur initio pro Nychtemero ad granum semis, ascendendo ad granum unum, grana 2. 3. 4. — Cl. Schenk maxime commendat contra Rhachitidem Oleum jecoris Aselli, quod remedium ter per diem uno cochleari coffeaceo exhibetur, sed est valde ingrati saporis. —

Nonnulli Auctores repebant Rhachitidem ab acrimonia peculiari acida, quia aegri rhachitici saepe halitum oris habent acidum, ructus acidos, sudorem acidum, in ipsa urina reperiuntur sales cum acido phosphorico majori quantitate, et experimenta docent, quod in acidis ossa emollientur, ideo conluse-  
  
 runt a praedominatione morbosa acidi derivandam esse causam Rhachitidis, atque commendarunt alcalia, imprimis Salem tartari, seu Carbonatem Lixivae, remedium quidem hoc non raro proficuum est, minime tamen illius usu Rhachitis omnis sanatur, Cel. Portal contra Rhachitidem infantum maxime commendat Hydrargyrum, et quidem Mercurium sublimatum corrosivum, quod remedium Parisiis multis rhachiticis proficuum fuisse refert; etiam Cel. Astruc docuit Rhachitidem esse tantum morbum Syphiliticum modifica-  
 tum per vitium Parentum generatum, illud quidem extra dubium situm est per Parentes Syphilide affectos generari infantes miseros, in quibus Rhachitidis pheno-  
 mena evolvuntur, talibus certo, vel quibus mor-  
 bus Syphiliticus forte sub partu, aut sub lactatione

communicatus est, Hydrargyrum caute adhibitum erit proficuum. Interim observationes attentae probant minime Rhachitidem omnem a Syphilide ortum ducre, Hydrargyrumque tam parum indicari, ut et in illis infantibus, quorum parentes Syphilide affecti erant, Rhachitis evoluta per Hydrargyrum non sanata, sed exasperata fuerit. — Cel. Lentin contra Rhachitidem commendat acidum Phosphoricum, ast per observationes constat a remedio hoc exiguum effectum productum fuisse. —

Praeter remedia interna adhiberi debent etiam externa, talia nempe quae processum vitae organicae languidiorem moderate excitent, huc pertinent: frictio cutis moderata quotidie suscepta cum panno sicco calefacto, cum panno fumo gummi resinoso imbuto, inunctio abdominis cum Unguento blande stimulante, ut Unguento Ammoniato vel Linimento volatili, Unguento saponato Camphorato, seu Opodeldoch, Unguentis stimulantibus additur saepe Oleum destillatum Terebinthinae, Balsamum Peruvianum, Aether Vitrioli, utiliter adhibentur Lotiones corporis totius cum vino tepido, cum vino aromatico, utilia sunt et balnea tepida simplicia ad cutis munditiem conservandam; in iis casibus ubi Comedones adsunt, optime adhibetur balneum tepidum cum sapone per quadrantem horae, et dein instituitur frictio cutis; effectum bonum producunt et balnea roborantia ex decocto foliorum ac ramorum Salicis albae, Corticis Quercus, ex solutione Aluminis, vel globulorum Martzialium; in plurimis casibus contra Rhachitidem virtutem maiorem exerunt balnea frigida, quae aestate adhibentur, et quidem ita ut infantes Rhachitici quotidie aquae frigidiae immerguntur tantum per momenta, et iterum excipiuntur, ac cutis siccatur, balneum quo-

que brevi tempore adhibitum in fluvio, rivo, vel lacu pro infantibus Rhachiticis est maxime proficuum. —

Ubi ossa inflammantur, adhiberi debent Hirudines, aut applicatur Emplastrum Cantharidum; magnam utilitatem praestant Ulcera artificialia, excitantur fonticuli Causticorum ope, applicatur Moxa, aut ferrum candens; sicque per usum horum remediorum externorum inflammatio, aut exulceratio sufferuntur.

Curvatura variae, in partibus corporis diversis locum habentes, per fascias, machinasque varias tractari debent, de quibus Regulae cunctae satis abunde in Orthopedia exponuntur.



## L i t e r a t u r a.

- Fr. Glissonius. *Tractatus de Rhachitide seu morbo puerili Rikets dicto.* Londini 1650.
- Joan. Büchner. *Diss. de rhachitide perfecta, et imperfecta.* Argentorati 1754.
- Friedr. Kappel, Versuch einer vollständigen Abhandlung über die sogenannte Englische Krankheit. 1. Theil. Berlin, 1787.
- Wenceslai Trnka de Krzowitz, *Historia Rhachitidis.* Viennae 1787.
- M. Haller, Diss. de Rhachitide. In Stollii dissert. nied. ad Eyerel. Vol. I. Viennae 1788. p. 138 usque 200.
- F. F. Heine, D. de vasorum absorbentium ad rhachitidem generandam potentia. Göttingae 1792.
- Jos. Veirac, Abhandlung über die Rhachitis, oder englische Krankheit. Aus dem Holländ. übersetzt von J. B. Neup. Stendal. 1794.
- Ant. Portal, Beobachtung über die Natur und Behandlungsart der Rhachitis, oder die Krümmungen des Rückgrats, der oberen, und untern Extremitäten. Aus dem Französischen übersetzt Weissenfels 1798.
- Joan. P. Frank, de curandis hominum morbis. Lib. sex. sectio. Prima. pag. 254 — 268. Viennae 1805.
- Wilh. Andr. Haase, Ueber die Erkenntniß und Cur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus. Leipzig, 1820. Dritter Band, erste Abtheilung, pag. 333 — 342.

**Joan. Nep. Raimann**, Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie, und Therapie. Zweyter Band. pag 377 — 383. Wien, 1823.

**Fried. Ludwig Meissner**, Die Kinderkrankheiten. Zweiter Theil. pag. 266 — 278. Leipzig, 1828.

**Georg. August. Richter**, Specielle Therapie. Fünfter Band. pag, 528 — 554. Wien, 1830.

**Fried. Ludwig Meissner und Carl Christian Schmidt**, Encyclopädie der medicinischen Wissenschaften. Zehnter Band. pag. 301 — 306. Leipzig, 1833.



## T h e s e s.

---

- 1) Refrigerium est causa plurimorum morborum.
- 2) Qui naturae legibus conformem vivit vitam, non eget Medico.
- 3) Vis naturae medicatrix sola suffert, et sanat plurimos morbos.
- 4) In morbis inflammatoriis venaesectio princeps sistit remedium.
- 5) Medicus verbis saepe plus efficit, quam medicamentis.
- 6) Substratum Febris intermittentis Sistema gangliosum est.
- 7) Sectio Caesarea Synchondrotomiae preferenda.
- 8) Qui foetum quocunque graviditatis tempore expulerit, homicidii reus est.
- 9) Vita sexualis in Urbibus citius evigilat, quam ruri.
- 10) Bilis non ex arterioso, sed ex vénoso sanguine secernitur.
- 11) Vagitus uterinus possibilis.
- 12) Virtus medica cujuscunque Pharmacia recta ejus applicatione pendet.

- 13) Lac sanae Matris optimum pro infante  
nutrimentum.
- 14) Medicus in concinnandis Formulis sim-  
plicitati studeat.
- 15) Enthelmintorum origo per generatio-  
nem aequivocam optime explicatur.
- 16) Physici debent esse solliciti de recta  
inoculationis vaccinae administratione.

